

Johannes Assuerus Ampzing

**Programma In Renunciationem Novi Mag. Dn. Rectoris Academiae Rostochiensis  
: [P.P. sub sigillo Rectoratus nostri. 3 die Maii Anno 1615.]**

Rostochii: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734363923>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 1615.



Programma  
I N  
RENUNCIATIONEM

Novi Mag. Dn. Rectoris  
Academiae Rostochiensis.



ROSTOCHII

*Typis Exscripsit Joachimus Pedanus,*  
ANNO M. DC. XV.

RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
JOANNES  
ASSVERUS  
Amplingius Transilulanus,  
Med. Doct. & Profess.



Vanti oneris sit gerere rempublicam, is mihi perspexisse videtur, qui dixit: *Bonus rex, servus est publicus.* quique *sceptrum & Diadema fulgidas compedes* appellavit. Enim enimvero si labores & curas, quæ rempublicam gerentibus incumbunt, tum deinde si casus, pericula & discrimina quibus reipub. moderatores obnoxij sunt, æquâ lance perpenderit, prætereaque hujus ævi vanitatem & brevitatem nobiscum ipsi aliquantulum reputaverimus: non utique mirabimur, quod ex Stobæo refert trasmus 8. apoph. de Seleuco, qui frequenter dicere solitus sit, *paucis. notum esse Regum aut magistratum quanta sint cura.* Alioqui nullum invenimus mirari, qui regium diadema humi projectum tolleret. Tum nec illud, quod de Antigono perhibet Valerius Max. lib. 7. cap. 2. qui regium diadema sibi traditum, capiti impos-

fiturus exclamasse fertur: *O nobilem magis quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis & miserijs sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.*

Ad sollicitudines curas & labores quod attinet: hos non malè *Dion* indicasse videtur, quando Magistratus cum *Naucleris, Agricolis, Venatoribus*, ac demum cum ipso etiam *Solis* jubare comparat. Etenim, dicente *Dione*, in navi licet quidem vectoribus absq; curâ agere, & ne aspicere quidem mare, quin etiam neq; scire ubinam terrarum aut itineris sint. Alij tesseri ludunt, alij cantillant, alij toto die convivantur & potant, alij deniq; somno consopiantur, neq; evigilant antequam in portum appulerint. Quid verò interim *Nauclerus*? Noctes & dies propè insomnes ducit. Et noctu quidem minus ipsi obdormire licet, quàm natantibus. Aspicit in mare, suspicit in cœlum, prospicit in terram, & ea quæ in profundo sunt non oportet eum ignorare; ne vel in *Syrtis*, vel in scopulos, vel in arenarum collectas moles navem illidat. Interdum autem sicubi brevem quandoq; somnum suffurat: hunc tamen suspensum habet & dubium, ita quidem, ut sæpè exclamet aut velum contrahendum laxandumve esse, aut clavum huc illucvé contorquendum, aut aliud quidpiam rerum nauticarum agendum: quippe cui vel dormienti plus navis & navigationis cura incumbat, quàm reliquis navigantibus.

Jam verò, ut de *Agriculis & Venatoribus* nihil dicam, Solem mihi videte, qui, cum nullo Deorum minor sit, tamen elementis & rebus elementaribus omnibus, adeoq; orbi huic toti aspectabili inservire minimè renuit. Discernit enim temporum momenta, annum, dies & horas: generat, fovet, auget & nutrit animantia, plantas & vege-

tabilia universa: deniq; suppeditat pulcherrimum & sva-  
visimū spectaculum, nempe lucē, sine quā cœterorū hono-  
rū nulla est utilitas, neq; cœlestiū neq; terrestriū imò neq;  
ipsius vitæ. Obsecro, Annon cum servitute servire quis  
dicat planè duram? Duram dico, & adeò quidem duram,  
ut si cursum ille suum recto tramite non servet, actum pla-  
nè sit de rebus universis, contentante id vel unius Phaëton-  
tis exemplo; qui dum paterni currus habenas malè rege-  
ret, elementa colliqvavit, exarsit terram, exsiccavit flumina;  
& maria, aërem accendit, & ignem in ipsum propè cœlum  
intulit: adeò quidem ut neq; Faunis in sylvis, neq; Ne-  
reidibus vel in ipso profundo maris pelago tutum manserit  
domicilium: quin ipse etiam Jupiter cœlo suo metuerit,  
solis gaudentibus Plutone & Rhadamantho apud inferos.

Cùm itaq; quod Sol est in mundo, quodq; in navi est  
Nauclerus, hoc Magistratus sit in republica: quanta ipsi  
solicitudinum & curarum moles noctes & dies incumbat,  
nemo est hominum prudentiorum qui non videat.  
Exclamat M. Tullius orat. pro Flacco: *O conditiones miseræ  
administrandarum civitatum & provinciarum! In quibus di-  
ligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: ubi  
severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assen-  
tatio pernicioosa; frons omnium familiaris, multorum animus  
iratus, iracundiæ occulta, blanditiæ aperta.*

Pericula & casus tragicos vix effugere possunt, qui  
ad clavum sedent Reipub. Quo enim mons quispiam est  
excelsior, hoc & fulminibus magis est obnoxius, juxta  
Horatianum illud:

*Sæpius ventis agitatur ingens  
Pinus, & celsa graviore casu  
Decidunt turres, feriuntq; summos  
Fulmina montes.*

Enim,

Enim verò ut est magnus ad Imperium ascensus: ita magni sunt in imperio labores, & magni, cum ascenderis, ex alto casus. Si mihi non credis: Julium Cæsarem interroga, Cajum quoq; Caligulam, & Claudium & Neronem & Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum, Commodum, Pertinacem, Balsianum, præterea & Macrinum, cum filio Diadumeno, foedissimumq; omnium Helioabalum, longeq; dissimilem moribus Alexandrum, Maximos quoq; & Maximianos & Gordianos. Præterea & Philippos & Decium Gallumq; & Volusianum, & Valerianum insigni calamitate notabilem, & contemptorem paternæ miseriæ Galienum, & Aurelianum deniq; & Probum, Julianum & Licinium & Constantium & Valentem & Gratianum, Valentinianum, ac (ne ad fastidium cuncta commemorem) totam illam Imperatorum & Principum seriem interroga: uno omnes tibi ore, responsum dabunt, Eodem se calle ad ruinam atq; imperium ascendisse.

Interim dum ita Imperiorum fascibus involvuntur miseri mortales, inopina mors tacito pede obrepit, & incautos de mediò rapit. O cœca mortalium pectora! qui de terrâ orti, ceu vermes rebus terrenis volutantur, & felicitatem omnem suam in rebus terrenis collocant, nec ad vitam beatiorem animum possunt attollere, toti hujus ævi brevis & fragilis cupiditatibus immersi.

Fecit consideratio hæc tamen, ut cordatiores nonnulli, aut omninò Magistratum inire noluerint, aut si iniuissent, eo se postmodum abdicarint, Et de *Themistocle* quidem proditum est, dixisse eum aliquando ad Athenienses. *Si mihi duas ostenderetis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret: multo libentiùs ingrederer eam qua rectà ad sepulchrum duceret.* Consimilem in mo-

dum & *Demosthenes* cum sciret quantum invidiæ, metus, calumniæ, ac discriminis esset expectandum accedenti ad Rempub. dixit, si è duobus alterutrum sit eligendum, se iturum potius in exilium, quàm ad suggestum aut tribunal. A qua equevidem sententiâ neq; *Aeschines* abhorruit, quando Rempub. rabiosum canem appellavit. *Pompejus* ille magnus, referente *Plutarcho* optabat ut à curis militaribus liber, liberq; ab invidiâ, cum uxore ruri vitam degere posset, ratus fortunatos, sua se bona norint, *Agricolas*; quibus ipsa, procul discordibus armis, fundit humo facilem victum justissima tellus. & illum demum beatum, qui procul negotijs, ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis, solutus omni sænore, nec excitatur classico miles truci, nec horret iratum mare, forumq; vitat, & superba civium potentiorum limina. Idem de se specimen exhibuit *Scipio Africanus*, qui post multa præclara facinora à Tribunis plebis divexatus, *Liternum* fecescit in villam suam atq; ibi mortem obiit. Quin ipse *Augustus* de dimittendo imperio cogitavit non semel. *Diocletianus* autem non solum dimisit imperium, sed neq; revocatus ut assensum daret, adduci potuit. Idem de Imperatore *Maximino* perhibent *Historici*, quod relicto imperio vitam privatam elegerit. *Theodosius Atramytenus*, pertæsus belli civilis, celsit imperio. *Lotharius* imperator & rex Gallorum, imperio se spontè abdicavit. *Mesala* primus omnium Romæ urbis præfectus constitutus, die itatim sextâ ab ea dignitate decelsit. *Michael Curoplates* imperator post *Stauratium*, *Leoni Armeno* curam Imperij reliquit ultro. *Manuel* quoq; habenas imperij *Alexio* reliquit. Idem fecit *Joannes Cantacuzenus*, qui in imperio, *Andronico juniori* successerat. Jam ut foeminei quoq; sexus exemplum addamus: *Agnes* uxor *Hinrici* tertij Imperatoris, omnibus tum divitijs tum honoribus se abdi-

abdicavit, ut religioni daret operam. *Placidia* virgo *Valentiniani* imperatoris & *Eudoxiæ* filia, repudiatis opibus, nulli rei præterquam salutem inhiavit. Ac ne Romana solum exempla proferamus: *Amurathes* Turca, dimissa filio regni curâ, privatus egit. *Petrus* rex Angliæ, dimisso suis regno, Romam venit, ubi privatus vixit. *Judocus* regis Britonum filius, relicto principatu, cui post patrem erat successurus, privatus degere maluit. *Quineriam* *Etburga* filia *Eduardi* senioris regis Angliæ, relicta paternâ domo, claustrum ingressa est, in quo ad mortem duravit. *Rachis* Longobardorum rex regno spontè decessit. Ac ne Ecclesiasticum quoque desit exemplum: de *Anachoretâ* ferunt, quod ne eligeretur Episcopus, lævam auriculam ipse sibi ferro præsecuerit: ut equidem demirari satis nequeam, quid *Agrippe* in mentem venerit, qui apud *Dionem* lib. 3. affirmare non fuit veritus, *Instum omnibus esse communem quendam naturæ impetum, quo appetant Magistratum.* Quod ego quidem certò scio tam esse falsum, quam quod falsissimum.

Sed enim dicat quispiam, Rectè faciunt illi, qui vel susceptum magistratum abdicant ultrò, vel ad Magistratū legitimè vocati, eum inire & gerere renuunt? Et quidem me iudice, neutri rectè faciunt; quippe sibi soli, non etiam Reipubl. consulentes. Quare non possum non summo perè probare consilium eorum, qui tum Reipubl. tum Magistratum gerentibus consulentes, itauerunt, ne Magistratus essent perpetui. Hæc enim viâ tyrannidi obex ponitur, simulq; onere paulisper levantur, quibus sub tanto munere continuè sustinendo fatiscendum videbatur: ut taceam hac ratione paritatem servari inter æquales, & plures subinde ad magistratum gerendam paulatim instrui & idoneos reddi, ut decedentibus alijs mox in promptu sint

sint alij, qui in eadem palæstra aliquandò exercitati, in de-  
cedentium locum, aptè & cum commodo reipub. suffici  
possint. Viderunt hoc veteres Legillatores, & rerum  
pub. conditores. *Plato* certè constituit, ut si quis 50. anno-  
rum ad magistratum gerendum electus fuerit: non duret  
nisi ad 10. annos. Et *Agathon*, referente *Stobæo*, dicere  
solebat Magistratum trium debere meminisse. 1. quòd  
imperet hominibus. 2. quòd secundum leges. 3. quòd  
NON SEMPER imperet. *M. Cato* cives incusabat,  
quod semper iisdem committerent magistratum. Vi-  
demini enim, inquit, aut nullum habere magistratum, aut  
indicare paucos esse dignos magistratu. Quorum alter-  
rum erat malè sentire de publicà potestate; alterum, de ci-  
vibus. Equidem si verum fateri velimus, nunquam felici-  
or & beatior fuit reipub. Romanæ status, quàm sub  
Consulibus quorum Magistratus erat annuus.


Eandem propè viam inlitterunt Majores nostri,  
quandò gravi & perquam sapienti consilio statuerunt,  
ne saxum supremi in hac Academia magistratus, quem  
Rectoratum vocant, uni alicui ultra spatium semelitre in-  
cumberet volvendum: rati onus alioqui gravius quàm  
cui diu multumq; portando unus aliquis possit sufficere,  
frequenti personarum id sustinentium permutatione &  
vicissitudine levius fore & portatu facilius. Horum nos  
institutum secuti, significamus die crastino novi Rectoris  
publicam renunciationem futuram: ad quam in Audito-  
rio magno concelebrandam ut inter octavam & nonam  
matutinam frequentes conveniant, quàm possum gravif-  
simè adhortor Dn. Professores, aliosq; Dn. DD. & MM.  
nec non universam studiosam juventutem. Facient hoc  
ipso rem gratam Deo imprimis, simulque erga legitimum  
Magistratum suum, amorem & observantiam testabuntur.  
P. P. sub sigillo Rectoratus nostri. 3 die Maij Anno 1615.





abdicavit, ut religioni daret operam. P  
 lentiniani imperatoris & Eudoxiæ filia,  
 nulli rei præterquam salutem inhiavit.  
 solum exempla proferamus: *Amurathes*  
 filio regni curâ, privatus egit. *Petrus*  
 misso suis regno, Romam venit, ubi priv  
*cus* regis Britonum filius, relicto principa  
 trem erat successurus, privatus degere ma  
*Etburga* filia Eduardi senioris regis Angli  
 nâ domo, claustrum ingressa est, in quo a  
 vit. *Rachis* Longobardorum rex regno  
 Ac ne Ecclesiasticum quoque desit exemp  
*relâ* ferunt, quod ne eligeretur Episcopus  
 lam ipse sibi ferro præsecuerit: ut equide  
 nequeam, quid *Agrippe* in mentem vene  
 nem lib. 3. affirmare non fuit veritus, *Insu*  
*communem quendam naturam impetum, quol*  
*tum.* Quod ego quidem certò scio tam  
 quod falsissimum.

Sed enim dicat quispiam, Rectène fa  
 susceptum magistratum abdicant ultrò,  
 tū legitime vocati, cum inire & gerere ren  
 me iudice, neutri rectè faciunt; quippe si  
 Reipubl. consulentes. Quare non pos  
 perè probare consilium eorum, qui tum I  
 gitratum gerentibus consulentes, itatuer  
 tus essent perpetim. Hac enim viâ tyra  
 tur, simulq; onere paulisper levantur,  
 munere continuè sustinendo fatiscendum  
 ceam hac ratione paritatem servari inter  
 res subinde ad magistratum gerendam p  
 idoneos reddi, ut decedentibus alijs n



the scale towards document

o Va  
 ribus,  
 ana  
 issa  
 , di  
 judo  
 t pa  
 tiam  
 ater  
 lura  
 esit.  
 aho  
 ricu  
 satis  
 Dio  
 esse  
 istra  
 vâm  
  
 ri vel  
 tra  
 dem  
 tiam  
 mo  
 Ma  
 tra  
 oni  
 anto  
 at ta  
 plu  
 ui &  
 aptu  
 sint